



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicæ**

**Schnorrenberg, Anno**

**Coloniae, 1740**

Quæstiones præliminares Juris Canonici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



## Quæstiones Præliminares JURIS CANONICI.



**Q**uaeres primò. Unde nomen JURIS CANONICI, quia, ut ait Ulpianus in l. 1. ff. de Justit. & Jure. Juri operam daturum priùs nôsse oportet, unde nomen Juri descendat? R. Jus dicitur à justum. *Can. Jus generale. 2. dist. 1.* hoc est, ut vult *S. Th. 2. 2. q. 57. a. 1.* Ars, quâ cognoscitur, quid sit justum. Appellatur autem *Jus Canonicum* à Græco nomine *Canon*, quod latinè regula, eò quòd normam rectè benèque vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat. *Can. Regula. 2. dist. 3.* dicitur *Pontificium*, quòd Romanum Pontificem Authorem habeat, sive, quòd ejus autoritate vim sanctionis obtineat. Vocatur quoque *Ecclesiasticum*, ab Ecclesiâ, quam dirigit. *Sacrum*, à materiâ, quæ vel sacra, vel ad finem sacrum ordinatur. *Divinum* juxta *cap. 2. de Privilegiis in 6.* non quòd immediatè à Deo conditum sit, sed quia vel quædam ex sacris Literis excerpta, & in Conciliis repetita continet, vel

R. D. Schnorrenberg *Instit. 7. Can.*

quia Canones instinctu Spiritûs Sancti dictati sunt: *Can. Violatores, 5. caus. 25. q. 1.* Vel quia sunt conclusiones ex principiis Legis Divinæ deductæ: *cap. qualiter. 24. de accusat.* Vel denique ab eo conditum est, qui immediatè ab ipso Christo ligandi solvendi que accepit potestatem.

Quaeres secundò. Quomodo Jus Canonicum definiendum? R. *Jus positivum à summis Pontificibus Ecclesia traditum, constitutum, vel approbatum.* Dicitur 1<sup>mò</sup>: *Jus positivum*, sive scriptum, sive non scriptum, vel quod aut moribus, aut legibus constat: in quo Jus Canonicum cum Jure Civili convenit. 2<sup>dò</sup> à *summîs Pontificibus*; quia hi soli tanquam supremi Legislatores in tota Ecclesia jus dicere, & universales leges omnes Fideles obligantes condere possunt. 3<sup>tiò</sup>. *Ecclesia traditum*: quia in hoc Jure quædam ex sacris Literis tradita sunt. 4<sup>to</sup>. *Constitutum*, hoc est editum, & per decretales epistolas, rescripta & constitutiones Apostolicas legitimè promulgatum. 5<sup>to</sup>. *Approbatum*: quia sunt quædam in Jure Canonico ex Decretis

A

Con-

Conciliorum Provincialium, ex placitis Principum saecularium, ex sententiis sanctorum Patrum desumpta, quibus nisi summi Pontificis autoritas accedat & approbatio, vim regulæ ac legis pro tota Ecclesia obtinere non possunt.

*Quæres tertio.* In quibus Jus Canonicum præeminet Juri Civili? R. Præeminet 1<sup>mo</sup>. *Origine*; quia à Christo & à potestate merè spirituali Petro ejusque Successoribus immediatè à Christo communicata dimanat, cum Jus Civile à potestate saeculari, à populo in Principes translata, ortum suum habeat. 2<sup>do</sup>. *Universalitate*; omnes enim fideles obligat. *cap. Canonum statuta. 1. de constitut.* cum leges civiles non nisi unam tantum Provinciam, Nationem, aut Regnum astringere noscantur. 3<sup>io</sup>. *Materia*. Nam materia remota sunt personæ & res sacrae & spirituales: materia proxima, hominis Christiani actiones: materia autem legum sunt personæ & actiones profanae. 4<sup>to</sup> demùm *fine*, qui est spiritualis; Canones enim per se primò justitiam Christianam, remorè vitam æternam spectant, leges verò solam justitiam legalem, quietem Reipublicæ temporalem, & felicitatem naturalem intendunt.

*Quæres quarto.* In quibus Jus Canonicum Juri Civili derogat? R. Quamvis Jus Canonicum in pluribus à Jure Civili adjuvetur. *Can. si in adjutorium. 7. dist. 10. cap. intelleximus. 1. de novi operis nuntiat.* Et multi Canones ex legibus civilibus desumpti sint, ideoque leges civiles in foro Ecclesiastico sæpiùs recipiuntur, attamen Jus Canonicum

Juris Civilis dispositiones corrigit, ejusque leges non admittit: 1<sup>mo</sup>. Quæ rebus vel personis Ecclesiasticis officiant. *cap. 1. de consuetud. cap. 1. de jurejurand. in 6. cap. fin. de Immunit. Ecclesiast. in 6. 2<sup>do</sup>.* Quæ statuunt aliquid de personis & rebus Ecclesiæ, licèt id Ecclesiarum commodum & favorem respiciat. *cap. Ecclesia. 10. de constitut. 3<sup>io</sup>.* Quæ decernunt aliquid in materia merè spirituali, ut Sacramentorum, voti, juramenti, &c. *Can. duo sunt. 10. Can. si Imperator. 11. dist. 96. 4<sup>to</sup>.* Quæ bonis moribus adversantur, ut leges permittententes concubinatum, usuram, præscriptionem malæ fidei, &c. Ratio est: cum enim leges civiles vitæ civilis commoditatem & pacem publicam præcipuè intendunt, idèd multa sæpè permittunt, quæ quantum ad cives populosque tuendos faciunt, Christianis tamen moribus adversantur; Jus verò Canonicum præter justitiam legalem intendit conscientia puritatem, idèdque non permittit, ut in minimo à rationis præscripto devietur.

*Quæres quinto.* Quinam Juris Canonici fontes? R. Jus Canonicum scriptum ex quinque potissimùm fontibus depromptum est. 1<sup>mo</sup>. Ex Verbo DEI scripto & non scripto, sive Traditionibus. 2<sup>do</sup>. Ex Decretis Conciliorum. 3<sup>io</sup>. Ex Constitutionibus summorum Pontificum. 4<sup>to</sup>. Ex sententiis sanctorum Patrum. 5<sup>to</sup> demùm ex placitis Principum saecularium. Singuli fontes in sequentibus clarius explicantur.

*Quæres sexto.* Quid sint Traditiones? R. Traditio est doctrina non scripta, non quod

quodd nullibi unquam litteris sit consignata, sed quodd à primo Authore scripta non sit, sed solâ voce prodita ad nos veluti per manus pervenerit, etsi posteri eam scripto consignârunt. Distinguuntur Traditiones ex principiis, à quibus proveniunt, & à materia, quam tradunt. A principiis aliæ sunt Traditiones Divinæ, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. 1<sup>mo</sup>. Traditiones Divinæ sunt à Christo, Apostolos docente, eandemque vim, quam divina Præcepta in Evangelio tradita, obtinent, talia sunt, quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent. 2<sup>dò</sup>. Traditiones Apostolicæ, quæ ex Apostolorum præceptis dimanasse dicuntur, quales sunt trina immersio eorum, qui baptizantur: Jejunium Quadragesimale & quatuor Temporum, quæ parem vim habent & auctoritatem, quam quæ nobis Apostoli scripto reliquerunt. *Can. Ecclesiasticarum. 5. dist. 11.* Ideoque Traditiones Apostolorum relinqui non possunt ab iis, qui Christiani dici volunt. *Can. ridiculum. dist. 12. 3<sup>to</sup>*. Traditiones Ecclesiasticæ antiquæ sunt consuetudines, à primis Ecclesiæ Pastoribus & Fidelibus ad nos usque deductæ, & tacito populorum consensu vim legis obtinuerunt; hæ eandem quam leges Ecclesiæ scriptæ vim habent; eadem enim est vis consuetudinis approbatæ, quam legis scriptæ. *Can. consuetudo. 5. dist. 1.*

Penes materiam Traditiones distinguuntur; aliæ enim de fide sunt: ut quodd B. M. V. semper fuerit Virgo, Aliæ de moribus: ut quodd certis diebus jejunia & festa sint celebranda. Aliæ sunt

necessariæ & in forma præcepti: ut celebratio Paschæ in die Dominica post decimam quartam Lunam Martii, aliæ liberæ & ad modum consilii.

*Quæres septimò*. Quid sunt Concilia? Nomen Concilii consultationem plurimum indicat cum resolutione. Græcè synodus sive congregatio ad exquirendum & concludendum Concilium appellatur. Sunt autem Concilia Generalia, Provincialia, & Episcopalia.

Concilia Generalia sunt, quæ Episcopi ex Orbe universo auctoritate Sedis Apostolicæ Fidei Catholicæ asserendæ causâ in unum convenientes condiderunt. *Can. 1. dist. 15. can. 1. & seq. dist. 17.* Dicuntur generalia & œcumenica sive universalia, & in iis Ecclesia universalis repræsentatur. Auctoritate summi Pontificis congregantur, in illis ipse summus Pontifex vel Legati ejus nomine præsident, alioquin nec legitima nec rata dicenda sunt. *Citata totâ distinct. 17. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10.* nisi postea ejusdem summi Pontificis approbatio & auctoritas accedat. *Totâ distinctione 16.* Quæ in hisce statuta decernuntur, Canones appellantur, & ab omnibus per omnia servari debent, nempe si à summo Pontifice fuerint confirmata; Concilia enim legitime celebrata & confirmata in iis, quæ ad mores & fidem spectant, errare nequeunt, quia Ecclesia, cujus doctrina in Conciliis est, nobis infallibilis fidei regula & magistra morum existit.

Concilia Provincialia sunt, quæ ob causas Ecclesiasticas à Metropolitanò seu Archi - Episcopo, omnes Provinciæ Episcopos convocante, celebrantur.

*Can. propter 4. dist. 18.* Præter Metropolitanum Legatus quoque à Latere, qui majus omnibus post Romanum Pontificem in Provincia sibi decreta imperium censetur habere, hæc Concilia convocare potest. *cap. si Abbatem. 36. §. hujusmodi. de elect. in 6.* Olim ad minus bis in anno celebrabantur, *Cit. can. propter. can. pervenit. dist. 18.* Hodie ex præscripto *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 2.* quolibet saltem triennio, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex factis Canonibus permixtis, convocanda.

Concilia Episcopalia sunt, quæ Episcopus in sua Diœcesi convocatis Abbatibus, Presbyteris, Clericis singulis annis celebrat. *Can. decernimus fin. dist. 18.* In his Conciliis statuta non propriè Canones, sed constitutiones dicuntur, & tantum ejusdem Provinciæ, civitatis vel Diœcesis subditos obligant, si Canonibus Conciliorum Generalium vel Conciliorum per Generalia receptorum non adferentur: Interdum confirmatione Sedis Apostolicæ indigent, *Cap. cum accessissent. 8. de constitutionibus.* Confirmata & à Sede Apostolica toti Ecclesiæ proposita omnes Christianos obligandi habent potestatem.

*Quæres octavo.* Quot hucusque in Ecclesia Concilia Generalia celebrata fuerunt? *R.* Decem & octo. *1. num* fuit Nicænum, Anno 325. sub Pontifice Sylvestro, imperante Constantino Magno, celebratum, in quo à 318. Patribus blasphemia Arii de inæqualitate Sanctissimæ Trinitatis condemnata fuit, *Can. Canones. 1. dist. 15. can. quidam. 39.*

*caus. 24. q. 3.* Post hoc Concilium Sardicense Anno 347. sub Julio Romano Pontifice, & Imperio Constantis servatum fuit, quamvis hoc Concilium fuerit œcumenicum, inter universalia tamen approbata Concilia non numeratur, quandoquidem cum Nicæno unum censetur, cum utriusque iidem ferè Patres interfuerint, & Nicænum confirmaverint, magisque explicaverint.

*2. dum* Concilium Generale Constantinopolitanum *1. num* Anno 381. sub Pontifice Damaso, imperantibus Gratiano & Theodosio, in quo à 150. Patribus Macedonius, negans Spiritum Sanctum esse DEUM, condemnatus fuit. *Cit. can. Canones.*

*3. tum* Generale Concilium Ephesium *1. num* Anno 431. juxta Baronium sub Cœlestino I. Pontifice, Imperii sceptrum tenente Theodosio Juniore, in quo Nestorius duas in Christo personas asserens condemnatus fuit. *Cit. can. Canones.*

*4. tum* Concilium Generale Chalcedonense Anno 451. sub Leone Papa & Martiano Imperatore, in quo à 630. Patribus Eutyches Constantinopolitanus Abbas, Verbi DEI & Carnis unam scilicet Divinam Naturam pronuntians, cum Sequacibus & Defensoribus suis proscriptus ac damnatus fuit. In hac 4ta œcumenica Synodo Theodorus Mopsuestanus Ibas Edeffenus & Theodoretus Syrus Episcopi faventes hæresi Nestorianæ factorum & scriptorum pœnitentes, absoluti & in communionem recepti sunt.

*5. tum* Concilium Generale Constantino-

tinopolitanum 2dum Anno 553. ad instantiam Justiniani Imperatoris, seducti à Theodoro Cæsariensi Episcopo, autoritate Vigilii Romani Pontificis quantumvis inviti convocatum fuit, in eo tria capitula, ut vocari solent, nimirum Libri Theodori Mopsuesteni Episcopi, Anathematismi Theodoretii adversus Cyrillum, & Ibae Epistola hæreseos sunt condemnata, cui condemnationi ad instantiam Imperatoris factæ, cum sese Vigilius Papa unâ cum pluribus ex Occidente Patribus opponeret, dicendo: non posse jam vitâ functos damnari, quos Concilium Chalcedonense absolvisset, Vigilius in tetrum carcerem detrusus est, inde tamen liberatus post medium annum Concilium approbavit, & condemnationi subscripsit. Ex hoc facto hodiè Fautores Janseii inferunt, nec Pontificem, nec Concilium Generale infallibile esse in quæstione facti, cum Synodus generalis 5ta condemnârit tria capitula Episcoporum tanquam hæresin Nestorii continentia, quos tamen Episcopos Synodus generalis 4ta Chalcedonensis absolverat. Ad quod Catholici respondent, quod Concilium Chalcedonense Authores pœnitentes absolverit, non eorum doctrinam approbaverit, Vigilius Pontifex similiter dum in Synodo generali 5ta libellum, quem constitutum appellavit, in defensionem trium capitulorum obrulit, non doctrinam in illis contentam, sed Authores defendit, qui abjectâ hæresi in Concilio Chalcedonensi recepti & laudati fuerant; sed cum postea adverteret, nisi tria capitula damnarentur, totum Orien-

tem Schysmati involvendum, & Hæreticos Nestorio addictos in sua pertinacia confirmandos, eò quod errores eorum à tam magni nominis Episcopis & à Concilio Chalcedonensi receptis traditi essent, tria capitula cum eorum Autoribus hæreseos condemnavit.

6tum Concilium Generale Constantinopolitanum III. An. 680. sub Agathone Papa & Imperatore Constantino Pogonato celebratum, in quo damnata hæresis Monothelitarum, qui duas quidem in Christo naturas admittebant, sed unam voluntatem unamque operationem tantum asseriebant. Hæc hæresis vel afficta fuit, vel privatim docta ab Honorio Pontifice. Hujus & præcedentis Concilii mentio fit *Can. prima. 10. dist. 16.*

7mum Nicænum 2dum Anno 781. sub Adriano I. Pontifice & Imperatore Constantino, in quo à 356. Patribus contra Hæreticos cultus Imaginum & veneratio Reliquiarum approbata fuit.

8vum Generale Concilium Constantinopolitanum 4tum Anno 869. sub Adriano II. Pontifice & Basilio Imperatore.

9num Generale Concilium in Occidente 1mum, Concilium Lateranense Anno 1123. sub Calixto II. & Henrico IV. Imperatore.

10mum Generale Concilium Lateranense 2dum Anno 1139. sub Joanne II. contra Anacletum & Victorem Antipapas.

11mum Lateranense 3tium sub Alexandro III. Anno 1179.

12mum Lateranense 4tum sub Innocentio III. Anno 1215.

13<sup>um</sup> Lugdunense 1<sup>um</sup> in Gallia sub Innocent. IV. Anno 1245.

14<sup>um</sup> Lugdunense 2<sup>um</sup> à Gregorio X. 1274.

15<sup>um</sup> Viennense in Gallia sub Clemente V. 1311.

16<sup>um</sup> Florentinum Anno 1438. sub Eugenio IV. in quo facta unio Græcorum cum Latinis.

17<sup>um</sup> Lateranense 5<sup>um</sup> à Julio II. inceptum, & à Leone X. confirmatum.

18<sup>um</sup> demùm Concilium Tridentinum à Paulo III. Anno 1542. indictum, sub Julio III. continuatum, & à Pio IV. terminatum ac confirmatum 1564.

Præter hæc Concilia Generalia in toto Orbe approbata aliqua Concilia Generalia fuerunt partim recepta, partim rejecta, ut Concilium Pisanum ad tollendum Schisma Anno 1049. celebratum, in quo utroque Pontifice Greg. XII. & Benedicto XIII. deposito Alexander V. electus est.

Constantiense, in quo exauthoratis tribus Pontificibus Joanne XXIII. Gregorio XII. & Benedicto XIII. in Pontificem Martinus V. electus est, qui non omnia, sed partem Actorum Concilii Constantiensis approbavit.

Basileense, quod Anno 1431. ab Eugenio IV. legitimè quidem indictum & inceptum, sed non obstante Pontificis dissolutione usque ad ipsam Eugenii depositionem schismaticè continuatum, Nicolaus V. Eugenii Successor concordie causâ Acta quædam Basileensia ad beneficia Ecclesiastica ac censuras pertinentia confirmavit, alias non tantùm Eugenijs, sed etiam Leo X. in Concilio

Lateranensi Decreta Concilii Basileensis condemnarunt.

*Quæres nono.* Qualem vim Constitutiones summorum Pontificum obtinent? *Re.* Constitutiones Apostolicæ vel sunt insertæ Corpori Juris à Pontificibus approbato, vel in eo non comprehenduntur, si insertæ, faciunt jus commune, si non insertæ, editæ tamen dignoscuntur à summo Pontifice, & in forma authentica exhibentur, jus commune quoad omnes faciunt, quod non solum intelligendum de Decretis Apostolicis pro tota Ecclesia latis, sed etiam de Epistolis & Responsis summorum Pontificum particularibus, vel ad instantiam particularis personæ datis, dummodò in Corpore Juris inveniuntur, aut in forma authentica proferantur, ut probatur *ex Can. si Romanorum. 1. dist. 19. cap. ex multa. 9. de voto.*

*Quæres decimo.* Quam dicta S.S. Patrum auctoritatem habent? *Re.* Sententiæ S.S. Patrum legem non constituunt, illæ tamen, quæ in Corpus Juris, vel in constitutionem aliquam Pontificiam relata sunt, auctoritate Papæ canonizantur, & vim legis obtinent.

*Quæres undecimo.* In quot partes Corpus Juris Canonici dividitur? *Re.* In sex. 1<sup>ma</sup> est Decretum Gratiani. 2<sup>da</sup> Decretales Gregorii IX. 3<sup>ta</sup> Liber sextus Decretalium Bonifacii VIII. 4<sup>ta</sup> Decretales Clementis V. 5<sup>ta</sup> Extravagantes Joannis XXII. 6<sup>ta</sup> Extravagantes communes.

*Quæres duodecimo.* Quâ Decretum pollet auctoritate? *Re.* Decreti Author est Gratianus, patriâ Clusius, professione Monachus Benedictinus, in monaste-

rio S. Felicis Bononiæ Professor, qui hoc opus circa Annum 1115. tempore Eugenii III. edidit. Nullam hic Liber à Gratiano auctoritatem habet; ipse enim utpote privatus leges condere non poterat, ideoque contenta in hac 1ma parte aliam non habent auctoritatem, quam fontes, unde loca desumpta sunt, nimirum Canonicam, quæ ex Decretis Pontificum, vel Conciliorum œcumenicorum, vel etiam particularium à Pontifice approbatorum: civilem, quæ ex Constitutionibus Imperatorum in Decretum translata, & quæ ex Sententiis S.S. Patrum collecta, ex usu in foro externo ad causarum decisiones adminiculum præbent.

*Quæres decimo tertio.* Qualiter dividitur & citatur Decretum? R. Decretum in tres partes, pro numero trium objectorum Juris, quæ sunt personæ, res & actiones, dividitur, 1ma pars constat centum & unâ distinctionibus, Viginæ primæ distinctiones de elementis Juris Canonici agunt. Septuaginta tres sequentes de Cleri origine, forma, institutione, vita, moribus, officiis. Octo ultimæ de jurisdictione Pontificis. Quælibet distinctio in Canones dividitur, & sic allegatur: *Can. omnes leges. dist. 1.* hoc est, Canone, qui incipit: Omnes leges. Distinctione primâ.

Secunda pars Decreti habet triginta sex causas, quarum singulæ in quæstiones, & quælibet quæstio in Canones dividitur. Complectitur materiam rerum juridicarum & judiciorum Ecclesiasticorum. Citantur hoc modo: *Can. si quis suadente. caus. 17. q. 4.* hoc est, Canone,

qui incipit: Si quis suadente., causâ 17. quæstione 4ta. Quæstio 3tia causæ trigestimæ tertiæ, quæ est matrimonialis, continet septem distinctiones de pœnitentia, occasione dubii, an per confessionem soli DEO factam peccata deleri possint. Distinctiones pariter divisæ sunt, & allegantur hoc modo: *Can. cogitationis. dist. 1. de pœnitent.* hoc est: Canone, qui incipit: Cogitationis, in Tractatu de pœnitentia. Distinctione primâ.

Tertia pars Decreti quinque distinctiones de consecratione comprehendit, quarum singulæ in suos Canones dividuntur, & ita citantur: *Can. solemnitates. dist. 1. de consecrat.* hoc est: Canone, qui incipit: Solemnitates, in 3. parte de consecratione, Distinctione primâ. In his Jurisdictio & ministerium Ecclesiasticum explicatur. In fine Decreti Canones pœnitentiales ponuntur, quæ sunt regulæ quadam directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas, quibus demùm Canones Apostolorum subjunguntur.

*Quæres decimo quarto.* Quid sunt Decretales Gregorii IX. ? R. 2da pars Juris Canonici sunt Constitutiones, seu Epistolæ variorum Pontificum auctoritate Gregorii IX. per Fratrem Raymundum de Pennesfort Barcinonensem Ordinis Prædicatorum, Capellanum & Pœnitentiarium summi Pontificis à Clement, VIII. Anno 1601. in Sanctorum album relatum, in unum volumen collectæ. Decretales in quinque libros, hi in titulos, & tituli in capitula dividuntur. Liber primus potissimum agit de personis Eccl-



clesiasticis. *2dus* de judiciis. *3tus* de rebus Ecclesiasticis. *4tus* de matrimonialibus. *5tus* de pœnis. In citatione vel numero vel initium Capituli ponitur, hoc modo: *Cap. Osius, de election.* A quibusdam particula *extra* additur, ad significandum, quod citatio sit extra Decretum Gratiani, V. G. hoc modo: *Cap. nullus, extra, vel x. de election.*

*Quæres decimo quinto.* Quid liber sextus Decretalium? *ꝛ.* Tertia pars Juris Canonici sextus Decretalium nuncupatur, eò quod quinque libris Decretalium sextus accesserit. Collectus est auctoritate Bonifacii VIII. distinctus est in 5. Libros; de eadem materia, quâ præcedentes agunt, singuli Libri in titulos, & tituli in capitula dividuntur. In citatione ponitur initium vel numerus capituli, & titulus cum addito: in 6. hoc modo: *Cap. licet, de præbend. in 6.*

*Quæres decimo sexto.* Quid Clementinæ? *ꝛ.* Quarta pars comprehendit constitutiones Clementinas sic dictas, quod eas Ciemens V. colligendas mandaverit, Joannes autem XXII. promulgaverit. Clementinæ in quinque Libros, sicuti Decretales, dividuntur, & iisdem titulis, sed multò paucioribus in capitula distinguuntur. Citantur Clementinæ hoc modo: *Clement. multorum quærela, de Hæreticis.*

*Quæres decimo septimo.* Quid Extravagantes? *ꝛ.* Quinta pars Juris Canonici continet duos Libros, quorum prior est Extravagantium Joannis XXII. & in 14. titulos dividitur, sicque allegatur: *Extrav. Execrabilis, de præbendis.* Alter est Liber Extravagantium communium,

hoc est variorum Pontificum, qui in quinque Libros, hi in titulos, & tituli in capitula distribuuntur. Citantur hoc modo: *Extrav. detestabile, de simon.* inter comm. Dicuntur Extravagantes, quia primitus extra Corpus Juris Canonici quasi incertâ sede vagabantur.

*Quæres decimo octavo.* Quali auctoritate pollet Liber septimus Decretalium? *ꝛ.* Librum septimum Decretalium compilavit Petrus Matthæi J. C. Lugdunensis, & ad normam Decretalium in quinque Libros divisit, hic Liber cum auctoritate privatâ collectus, nec ullam summi Pontificis habeat appellationem, Canonicus non censetur, & quamvis varias Pontificum Constitutiones contineat, illæ tamen, nisi in forma authentica producantur, vim obligandi non obtinent.

*Quæres decimo nono.* Quid de auctoritate Bullarii dicendum? *ꝛ.* Bullarium Romanum Bullas & Constitutiones summorum Pontificum, secundum ordinem, quo vixerunt, à pluribus Auctoribus collectas complectitur. Verùm quia à nullo Pontifice expressè reperitur approbatum, nec ullum de illo recipiendo extat Decretum, neque omnes in Bullario contentas Constitutiones esse ritè promulgatas, vel cum suis Originalibus concordare constat, ideò, nisi in forma authentica producantur, legis carent auctoritate.

*Quæres vigesimo.* Quid de Regulis Cancellariæ sentiendum? *ꝛ.* Regulæ Cancellariæ sunt quædam particulares ordinationes, quas summus Pontifex die ejus electionem vel assumptionem

im-

immediatè sequente facit, harum aliqua Officialibus Cancellariæ modum literas expediendi præscribunt, & vocantur *Regula de dandis*. Nec alios quàm Curia Officiales obligant. Quædam sunt generales de reservationibus Apostolicis, dispensationibus, resignationibus, indulgentiis, &c. & istæ juxta plures Jus universale faciunt, etiam extra Curiam Romanam vim legis habentes. Morte Pontificis expirant, & antequam ab electo rursus summo Pontifice reassumptæ & renovatæ fuerint, non obligant.

*Quæres vigesimo primo.* Quid decisiones Rotæ? R. Rota Romana est summi Pontificis judicium, quod causas fori Ecclesiastici per totum Orbem Catholicum cognoscit. Sententiæ hujus judicii, quæ decisiones Rotæ appellantur, jus aut auctoritatem tantummodò inter partes litigantes, & in eadem causa, in qua lata sunt, faciunt, licet aliàs majorem auctoritatem, quàm plurium Doctorum doctrina, habeant, & si in eadem causa plures Rotæ decisiones factæ, exque

uniformes sint, consuetudinem subindè & stylum Curia Romanæ inducunt.

*Quæres vigesimo secundo.* Quæ declarationum S. Congregationis auctoritas? R. Præter alias plures Congregationes Cardinalium una est instituta, quæ dubia circa Decreta Concilii Tridentini orta interpretandi & decidendi à summo Pontifice obtinet facultatem. Declarationes hujus Congregationis vel sunt extensivæ, quia Decreta Concilii ultra verborum proprietatem extendendo aliquid decernunt, prohibent vel permittunt, & tunc nisi auctoritate Papæ factæ legitimè promulgentur, vim legis non habent: Vel sunt comprehensivæ, quia sensum à propria verborum significatione non recedentem reddunt, quo casu, si Cardinalis Præfecti & Secretarii subscriptione ac sacra Congregationis sigillo consignatæ ac munitæ fuerint, eas legis auctoritatem obtinere extra dubium esse dignoscitur.

